PRAELVSIO,

QVA

DISPVTATIONES FEVDALES,

A

GENEROSISSIMIS ET PRAENOBILISSIMIS QVIBVSDAM

DOMINIS COMMILITONIBVS,

IN

AVDITORIO SVO

SVSCIPIENDAS,

OMNIBVS QVORVM INTEREST INDICAT,

ET

Textui difficili 2. *Feudor.* 28. §. *his conſequenter.*

Von theilung derer Lehens-Früchten in dem Sterbjahr,

GENVINVM INTELLECTVM RESTITVERE AGGREDITVR,

HENRICVS CHRISTIANVS SENCKENBERG

I. V. D. CONSILIAR. REGIVS. PROFESS. IVR. ORD. ET ACAD. SYNDICVS.

GOTTINGAE

APVD ABRAHAMVM VANDENHOECK,

ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.

cIↃ IↃ CCXXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

§. I.

Ex quo AVGVSTISSIMI REGIS beneficio, in Georgia Avgvsta verſari mihi contigit, verſor autem ferme per ſeſquiannum, inter alia & id negotii mei eſſe putaui, vt Ius feudale, ab iis quibus obſitum videbatur ſqualoribus, purgarem. Exhibui alias horum conatuum nonnulla ſpecimina, & plura in Compendio Ivris Fevdalis, ſub praelo ſudante, deprehenduntur. Vtrum omnia recte, ab aliis expecto, nec mihi tum Suffenus ero. Quo vero Svavissimi Domini Commilitones, ſi non omnia, praeſertim a receptis opinionibus abeuntia, primo ſtatim obtutu ſatis expedita apparerent, ea vlterius trutinandi occaſionem nanciſcerentur, Diſputationes per ſtata temporum interualla in circuli quaſi forma redeuntes inſtituere viſum, quibus meis hactenus prodeſſe, ſimul vero id conſequi poſſe me opinabar, vt iuuenes ad aliquid per ſe audendum, quaſi accenderentur. Non diſplicuit aliquibus Dominorvm Avditorvm meorum, ſimul autem aliis nonnullis hoc inſtitutum, ſed luſi tamen elapſo ſemeſtri operam, cum pluribus neſcio quid mali res alere crederetur, ſi in campum prodeundum eſſet. In praeſens autem voti factus compos, paucis quidem, ſed perſuaſi tamen, vt Cathedram conſcendere, & in arenam prouolare velint. Horum ergo conſenſu, Dispvtationes fevdales in praeſens annuncio. Antequam vero de earum Methodo plura proloquar, more ita a maioribus tradito, thema aliquod extricandum erit. Quem vel ideo lubenter ſequor, quia eadem opella & ii, qui doctrinas noſtras, qualemue nouae opiniones paſſim propoſitae vſum praeſtare queant, nondum forte norunt, de iis aliquo modo inſtruentur, & quaſi vt arbitri conflictuum intererunt. Diſſeram ergo *de diſtributione fructuum anni obitus, inter heredes alodiales & feudales*, ductu textus tantum non omnium in Conſuetudinibus Longobardicis difficillimi *2. Feudor 28. §. his conſequenter*. Hunc vero, vt verbo rem efferam, facilem futurum exiſtimo, ſi *Vaſallum non niſi Vſufructarium* eſſe, mecum ſupponas.

Digitized by Google

§. II.

Id ergo, antequam longius progrediar, demonſtrandum ſuſcipio. Non vero aptior probationis ratio dabitur, atque ex ipſo Conſuetudinum Longobardicarum fonte, vbi ſequens ratiocinium: *(a) Huius generis ſpecies eſt quaedam beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatae penes dantem remaneat: uſusfructus vero illius rei ita ad accipientem tranſeat, vt ad eum heredesque ſuos maſculos ſive feminas, in perpetuum pertineat.* Huic effato ſi addas, feuda ab initio vsque ad Domini revocationem, deinde ad annum, hinc ad vitam fidelis, inde pro filiis, demum omnibus deſcendentibus maſculis, ſucceſſu temporis data fuiſſe *(b)*, minor dubitandi ſuperabit cauſa. Quod enim ad vitam usque fidelis productum, non potuit non vſusfructus naturam ſequi, qui itidem morte extinguitur. Extenſio vero ad filios tantum, adeoque primos heredes, excluſis vlterioribus, Legibus vſusfructus *(c)* haud ſecus congruit. Et quamvis poſtea vſusfructus hic ad omnes deſcendentes maſculos pertinuit, id tamen in Iure Vaſalli nil mutauit, cum Iuris indubitati ſit, ad originem praecipue reſpiciendum, & quemlibet ita rem poſſidere praeſumi, vt ab initio poſſeſſa eſt, niſi aliud doceatur. De hoc vero nec vola nec veſtigium, cum expeditum habeamus, *tempus & durationem, nec tollendae nec inducendae obligationis modum* cenſeri, *(d)* nec variari obligationem, ſiue negotium per longum, ſiue per breue ſpatium duret *(e)*, cum *nemo ſibi poſſeſſionis cauſam mutare queat. (f)* Quin etiam adeo verum hoc, vt ne quidem in eo qui ad longiſſimum tempus conduxit, adeoque fructuum Dominus aeſtimatur & collectas ſoluere tenetur, aliud Ius obtineat, ſed intra conductionis limites ſubſiſtat. *(g)* Nil ergo inde Iuri Vaſalli accedit, vt adeo ſemper Vſufructuarii Legibus ſubjectus maneat. Cuius rei vel id indicium foret, Inveſtituram ſiue *poſſeſſionis dationem (h)* vt petat, praecipue fideli incumbere. Dum enim cuiusque Vaſalli obitu Vſusfructus extinctus, vt denuo poſſeſſionem impetret ſucceſſor, neceſſitatis creditur. Profecto qui Dominus eſt, licet revocabili Iure, huiusmodi actum nunquam celebrat; alia ergo cauſa ſubſit oportet. Porro vetus mos fuit, vt vaſalli praedia alienaturi, conſenſu Domini impetrato in manus eius (vt dicunt) reſignarent *(i)*, nec rem emtori traderent, quod ite-

(a) 2. *Feudor.* 23 *in fin.* Add. 2. *F.* 8.
(b) 1. *Feud.* 1. *verſ antiquiſſimo enim tempore.*
(c) *L. antiquitas* 14. *C. de Vſufructu.*
(d) RICHTER Deciſ. 83. n. 64. *L. obligationum* 44. §. 1. *ff. de obligation. & action.* ibique Doctores.
(e) *L.* 2. *C. de praeſcript. XXX vel XL. annor.*
(f) *L.* 33. §. 1. *ff. de Vſurpat. & Vſucap.* MEV. Defin I. 163. n 3. BARBOS. verbo *Poſſeſſio* n. 5.
(g) PEREZ in Cod. de Indiction. n. 29. ſqq. p. m. 701.
(h) 2. *Feudor.* 2. *pr.*
(i) Vid. BVRGVND. ad Conſuet. Flandr. p. 144. STRVV. Synt. c. 8. §. 11. Dn. LEYS. Add. Diſſ. de feudis Brunsuic. §. 42 quam conſuetudinem mille chartis probare liceret.

iterum tam conſonum placitis Romanis de Vſufructu,quam lac lacti. Diſerte enim illic ſtatutum, non niſi Domino proprietatis Vſumfructum cedi debere, & cedendo extraneo nihil Vſufructuarium agere (*k*). Quibus plura iungi poſſent, ſi id in praeſens ageremus. Sufficit inde de veritate theſeos conſtare.

§. III.

Non diffiteor, Leges Romanas, de hac vſusfructus militaris ſpecie, expreſſis verbis nihil prodidiſſe. Interim jam magnus JurisConſultus *Hermannus* VULTEIUS obſervavit, (*l*) vſumfructum duplicem eſſe, *ſimplicem* & *feudum*. Nos vero adhuc paulo longius pedem promoveri debere exiſtimavimus, cumque Antiquitates Romanæ & rerum argumenta plures ſpecies ſuppeditaverint, vbi vſusfructus quidem occurrit, ſed ad ſimplicis & proprie ita dicti regulas non omnino referendus, nouam inter vſumfructum *qualificatum* ſive *beneficiarium*, & *ſimplicem* differentiam inuenimus, ſub qua & militare beneficium Romanum, ſive feodum barbari ſermonis, ſtare poſſit. (*m*) Scilicet *beneficium Eccleſiaſticum colonarium*, quod alias recentiore verbo *precariam* vocamus, non niſi vſumfructum praeſtat. (*n*) Emphyteuſin dans Dominus eſt, & *Emphyteutae* non niſi meliorationes vendere licet, ita ut Dominus dici nequeat, ſed conductor & vſufructuarius ſit, jus tamen in heredes tranſmittens. (*o*) *Superficiarius* Jus Embateuticum habens, non niſi vſufructu quodam gaudet, ſed pleniore, unde & à ſimplici uſufructuario diſtinguitur. (*p*) *Praedia ſtipendiaria & tributaria* poſſidentes, *Domini non ſunt*; *verum Dominium aut apud populum aut apud Principem reſidebat*, *ſed uſumfructum eorum habebant & pleniſſimam detentionem*, *ita ut transferre poſſent*, *& ad heredes transmitterent*. (*q*) Habes ergo uſumfructum apud Romanos, quem ad ſimplicem referre nequeas, quique liberius Jus circa vſum rei, tranſmiſſionem ad heredes, & fructus ſtatim atque à ſolo ſeparati ſunt, (cum uſufructuarius ſimplex eos poſt perceptionem demum ſuos faciat:) tribuat. (*r*) Plures quidem novi differentias, ſed hae ſufficiant. Neque adeo mirum, noſtrum vſumfructum tranſmitti in haeredem, cum vel ſimplex vſusfructus ei relinquatur, ubi tamen ne Domino plane proprietas ſit inutilis, haeredis verbo indefinite vſurpato, vt non niſi in primum

(*k*) PAVLVS Lib. 3. recept, ſentent. tit. 6. §. 3. *Inſt. de Vſufr.*
(*l*) Tr. de feudis eorundemque Jure Lib. I. p. 19. ſq.
(*m*) Prolegom. Compend. Jur. feud. ab initio.
(*n*) *L. 14. §. 5. C. de SS. Eccleſ.*
(*o*) *L. 1. & 3. C. de Iure Emphyt. L. 1. §. 1. ff. ſi ager vectigal.*
(*p*) *L. 3. §. 4. de reb. eor. qui ſub tutela L. 1. pr. & §. 6. ff. de ſuperficieb. L. 2. eod.*
(*q*) THEOPHIL. Inſtit. paraphr. Lib. 2. tit. 1. §. 40. à COSTA h. §. SPANHEM. Orb. Rom. p 217. ed. recent.
(*r*) *L. 25. §. 1. ff. de Vſur. & fruct.*

mum heredem tranſeat, iuribus placuit.(s) Attende hic ad rationem in eo conſiſtentem, ne proprietas ſit fruſtranea, quae alibi his verbis effertur: *Ne Dominis plane inutiles eſſent proprietates, ſemper abſcedente vſufructu.*(t) Licebit ergo fortaſſis per argumentum à contrario ſenſu ſubſumere, ſi ad Dominum aliquid ex uſufructu etiam ſimplici redeat, poſſe illum vel in perpetuum continuari. Id quod certe in locatione conductione, aliisve hujusmodi actibus fit, vbi Conductoris non niſi vſusfructus. Si vero tam Jus Emphyteutae, quam ſuperficiarii, nec non Conductoris, in Jure noſtro uſumfructum non dici oggeras, adeoque eas ſpecies huc non referendas eſſe contendas, rationem in eo conſiſtere, quia Romani vſumfructum καθ' ἐξοχὴν eam ſpeciem tantum dixerint, vbi Jus vtendi fruendi gratuitum fuerit, in reliquis autem generibus, melioris diſtinctionis cauſa, nominibus à cujuſque contractus, per quem hoc Jus conſtitutum natura deſumtis vſi fuerint, ſuppeditabo. Fruebantur itaque omnes, quos hactenus dixi, quiſque ſuo modo Jure Vſufructuario, & inde forte evenit, vt titulum *ſi ager vectigalis*, ille *de Vſufructu* in Pandectis, alterum vero *de locato conducto*, titulus *de Jure Emphyteutico*, in Codice ſtatim ſequatur. Jus vero Canonicum, fidus nonnunquam civilium placitorum interpres, ob hanc ipſam cauſam, in Decretalibus, titulo *de locatione conductione*, illum *de feudis* proximum voluit, affinia videri haec Jura, haud dubie innuens. Ex quibus omnibus junctim ſumtis conficitur, agnoſcere Jus Romanum hujus generis Vſumfructum, qualem Vaſallus ſibi vindicat in re feudali. Sed ſimul etiam inde ſatis apparet, vix ejuſmodi feudalem Vſumfructum in omnibus exigi poſſe ad Leges Vſusfructus ſimplicis; ad quod tamen, vt ſemper & vbique monitum velim, JurisConſulti Longobardi cum alias, tum praecipue in noſtro textu, non ſatis attendiſſe videntur. Ne vero Germanicum Jus à Romano abire exiſtimes, nec hoc Emphyteutae ac Vaſallo plus Juris, quam Vſumfructum tribuere (u) evolve.

§. IV.

Exulat ergo hoc modo *Dominium* illud *vtile*, quod olim tanta cura, tanto ſtudio, tanta contentione Vaſallo vindicarunt. Quod quomodo contingere potuerit fere non capio, cum plerique Doctores feodum Vſumfructum eſſe largiantur, & ideo tantum Dominium vtile Vaſallo addicant, quia nonnunquam in libris Juris Vſufructuarius Dominus vocetur, (x) licet id parce ſatis accidat. Sed hoc quidem facile dare poſſem; modo enim Vſufructuarium tantum fateantur Vaſallum, mea non intererit, ſi harum Legum ſub vmbone, cum alio nomine magis adamato, Dominum dicere malint. Valde tamen impropria eſt haec locutio, & à Dominio fructuum ad Vſufructuarium pertinente deſumta, cum alias extra

dubi-

(s) *d. L. antiquitas* 14. *C. de Vſufructu.*
(t) §. 1. *Inſt.* & *L.* 3. §. 2. *ff. de Vſufr.*
(u) *Sächſ. Landr.* GLOSS. Part. II. art. 58. & 59.
(x) ROSENTHAL. de feud. cap. 1. concl. 6. in not. cum citat.

dubitationis aleam collocetur, Vſufructuarium non dici Dominum. *(y)* Quia ergo datur proprium nomen Vſusfructus qualificati & beneficiarii, peſſime id cum improprio Dominii permutatur. Rationem vero pro ſua mente affert ROSENTHALIVS, *ſe malle id quod Vſu recepto invaluerit ſequi, quam de lana caprina rixari.* Quid ſi cum HVBERO reponerem: *Neque tamen nugae ſunt, cum de re conveniat, vituperare verba, aequum eſt, aliquod diſcrimen inter ſcholas noſtri temporis, & barbari ſeculi ſervare.* (z) Et jam allata ſimul in mentem revocarem? Nullum ergo hic Dominio vtili praeſidium. Alii contra qui Dominium vtile, non cum Roſenthalio Vſusfructus Synonymon, ſed longe pinguius Jus contendunt, Imperatores Emphyteutas ſuos, fundorum patrimonialium poſſeſſores Dominos dixiſſe afferunt. *(aa)* Sed reſponderi poteſt, Imperatores priuatis Dominium pecunia numerata, ſaluis penſionibus conceſſiſſe, ideo id hominum genus Dominos fuiſſe dictos, reliquis diſertis verbis antiquo Juri relictis. *(bb)* Niſi forte Imperatores verbis luſerint, rem retinuerint. Pars eorum ad actiones directas & utiles conſugit, Dominum eum eſſe vtilem opinata, qui vtilem rei vindicationem, aut aliam huiuſmodi actionem conſequatur. Verum enim vero etiam nudus vſufructuarius *vtilem actionem aquae pluviae arcendae quaſi Dominus* exercet; *(cc 1.)* Adhaec actio vtilis nihil aliud eſt quam formula actionis, eo, ad quod directo verba non tendunt inflexa, adeoque ad formam, non autem Jus agendi ſubiecto competens, referri debet. Quae vtut iis qui pinguiore quodam jure rei fructus capiunt, v. g. ſuperficiario, emphyteutae &c. applicetur, nondum tamen hoc Vſusfructus modulum excedit, & ideo tantum *(cc 2.)* introductum, vt antiquas actionum ceſſiones, à Domino, cui Jus agendi erat fieri, neceſſum non eſſet. Quinimo cum ſaepe etiam in perſonam perſonae detur, non video, qui Dominium vtile inde exſculpi velit. Recte ergo MARTINVS Gloſſator, qui *Dominium vtile Chimaeram* dixit, *(dd)* vtpote de quo in libris Juris nihil inueniatur. Vtitur quidem BVLGARVS, vtilis Dominii in feodorum Jure primus Stator variis textibus, quibus Emphyteutae, ſuperficiario, & ad longum tempus conductori, vtilis actio accommodatur, cumque hos inde vtiles Dominos fuiſſe ſubſumat, argumentum ad feodum ducere nititur. Sed cum praeter iam dicta, hos nunquam pinguiore quam Vſufructuario jure fructos deduxerim, tute Bulgarum proprio gladio & argumento iugulare licebit. Profert etiam alia,

(y) *pr. Inſtit. de hered. inſtit.* binis vicibus. *L. 25. ff. de V. S. Vſusfructus non Dominii pars, ſed ſeruitutis.*

(z) Comm. ad §. 15. I. de Rer. diuiſ. & ad ff. §. 4. tit. ſi ager vectigalis p. m. 278.

(aa) L. 2. 4. 8. 12. C. de fundis patrimon. L. 2. C. *de mancip. & colon.*

(bb) Vid. cit. L. 4. 8. 12. C. de fund. patrimon. vbi in media praeſertim, diſerte, inter huiuſmodi Dominum, & Emphyteutam diſtinguitur.

(cc 1.) L. 22. ff. de aqua & aq. pluv. arcend.

(cc 2.) per L. 1. §. 1. ff. de ſuperficieb. vbi *quaſi in rem actio dicitur.*

(dd) refert id HOSTIENS, ad tit. x. de feudis p. 774.

alia, ſed quibus olim ſatisfecit MVRETVS. *(ee)* Recte ergo iam ſuo tempore riſit haſce naenias magnus CVIACIVS, *(ff)* quem CONTIVS aliiue ſecuti. Facilis tamen forem in nomine licet improprio, niſi illud pluribus plane ſpurios conceptus attuliſſet, & hoc ipſo effectum, vt verae rationes multorum Juris feudalis placitorum, non niſi à paucis caperentur.

§. V.

Non iniurius cenſebor in magni Monarchae Bulgari manes, ſi eius commento & textum noſtrum, ad quem hiſce praemiſſis progredi animus eſt, vſque ad haec tempora obſcuritate oblitum delituiſſe credam, cum tamen genuinis explicandi ſubſidiis ſtratis, facilimus appareat. Sed audiamus ante omnia FEVDORVM COMPILATOREM: (*His conſequenter* (inquit) *dicitur, quod) ſi Vaſallus decedat ſine herede maſculo, & contingat feudum ad Dominum reverti, ſic diſtinguitur, quod ſi ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo prouenientes, ad Dominum pertinebunt. Si vero poſt Calendas Martii vſque ad Auguſtum, omnes fructus qui interim excipiuntur, ad heredes Vaſalli pertineant. Si vero poſt Auguſtum, omnes fructus anni percipiet Dominus. Quidam tamen dicunt, quocunque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad Dominum pertinere.* Diſtinguit hic auctor, quiſquis ille demum fuerit tres caſus. Aut enim Vaſallus moritur ante Martium, & omnes fructus percipit Dominus. Aut decedit poſt Calendas Martias uſque ad Auguſti finem, (ita enim ſenſum capiendum, indicant verba ſequentia *poſt Auguſtum:)* & omnes fructus interea percepti heredibus eius alodialibus relinquuntur. Aut vero viuendi finem poſt auguſtum facit, & omnes fructus anni (videlicet nondum à Vaſallo perceptos, hos enim ultimos per rei naturam, vtpote iam in praecedentibus alii addictos, capere nequit :) percipiet Dominus. Addit, alios dicta breuius hoc modo efferre: quocunque tempore anni Vaſallus decedat, omnes pendentes fructus ad Dominum pertinere. Apparet ergo hinc, re vera coincidere priorem & poſteriorem opinionem, nec eſſe cur differentia ſtatuatur. Quod ſi enim ponas, Vaſallum ante Martium decedere, nulla de perceptione quaeſtio habetur, cum eo uſque eius obiectum non ſit. Si poſtea decedat, habebunt heredes eius id quod percepit, nil vltra. Ideo autem *uſque ad Auguſtum* hic adiicitur, quia tum in Italia omnes fere fructus quaeruntur, & nil praeter vinum & pauca alia reliqui ſit. Quando vero poſt Auguſtum, videlicet ſtatim, ut vindemias non celebret, oleas non legat, & alia huiuſmodi, quae menſe Septembri in Italia fiunt, *(gg)* ſpiritum reddat, illos omnes anni fructus reſiduos capit Dominus, quia à Vaſallo percepti non ſunt. Reliqua anni tempora praeter haec tria, ideo CONSVETVDINVM SCRIPTORI non attenta ſunt, quia iis nil eſt amplius, quod in Italia capiatur, vnde eatenus quid proferre ineptum iudicavit. Alias ſi de toto

(ee) ad pr. Inſtitut. de Vſucapion.
(ff) princip. Comment. in feuda p. 6.
(gg) *L. 2. C. de feriis à decimo ante cal. Septembris, vſque in Idus Octobris, vindemialis feria concedatur.*

toto anno loquendi animus illi fuiſſet, ſatis inſulſe tria diſtinxiſſet tempora, cum duo ſuffeciſſent. Cuncta ergo redeunt ad perceptionem Vaſalli, quod in calce breviter ſubiicitur. Qui ergo hic, num prior, an vero poſterior opinio ſequenda, diſquiſiuerunt, inanem ſumſere operam. Vt vero hanc & non aliam vbique AVTORI ſediſſe mentem eo magis credas, provoco ad alium textum, vbi noſter ab autore refertur, *(hh) & fructus, ſi quos reliquerit Vaſallus*, (qui haud dubie percepti adhuc extantes ſunt,) non vero alii, creditoribus eius attribuuntur. Id quod tertio loco *(ii)* confirmatur, vbi Dominum *fructus extantes* à Vaſalli heredibus vindicare non poſſe, deciditur. Cuncta eo tendunt, vt Vaſallus fructuum perceptorum Dominus fiat. Haec vero eſt limpida Iuris Romani de Vſufructuario doctrina. Conſtat enim inter omnes, *eum ad quem Vſusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum Dominum effici, quam ſi ipſe eos percipiat, & ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis deceſſerit, ad heredem eius non pertinere, ſed Domino proprietatis acquiri. (kk)* Quo pacto vero acciderit, ut Juriſconſulti Longobardi ad doctrinas de Vſufructu ex corpore Juris Romani petitas reſpicerent, iis intellectu erit facile, qui ſecum reputaverint, vel centurias aliarum rerum, in hiſce libris reperiendarum, ex eodem fonte eſſe petitas. Nec facile tum Juriſconſulti per ſe quid inuenire apti, quamdiu Juris Romani ſuppetebat argumentum. Plura vero addere nil opus.

§. VI.

Fortaſſis adhuc notandum, idem ob paritatem rationis reſpectu agnatorum obtinere, *(ll)* neque enim perſona, cui fundus poſt mortem Vſufructuarii cedit, vllatenus differentiam inuoluit. Ceſſat ergo & haec Doctorum crux, qui, num agnatorum idem ſit Jus quod Domini, varie diſſenſerunt. Omnia vero quae dixi, de *fructibus* tantum *naturalibus & induſtrialibus*, ſingulis annis recurrentibus, per verba de anno emortuali, & *fructibus pendentibus* in fine prolata capienda, adeoque nil definitur *de fructibus* ſingulis forte trienniis aut quinquenniis percipiendis, vt & ciuilibus. Illi, v. g. ex piſcina aut ſylua caedua redigendi, Doctoribus ſatis dedere laborum, nec emerges, niſi à moribus regionum & aequitate deciſum petas. *(m m)* Hi haud dubie inter ſucceſſorem feudalem & alodiales,

(hh) 2. *Feud. cap.* 45.

(ii) 2. *Feud.* 86. quod caput, licet extraordinarium ſit, illuſtrationi tamen haud dubie inſervire poterit.

(kk) §. 36. *Inſt. de diviſ. rer. & qual. L.* 25. §. 1. *ff. de vſur. L.* 12. §. 5. *ff. de vſufr. L.* 58. *ff. eod.* vbi ideo vſufructuariae heredes locarium capiunt integrum, quia ipſa fructibus iam omnibus eius nomine perceptis deceſſerat. *L.* 13. *ff. quib. mod. vſusfr. amitt. L. antepen. ff. de Rei Vindicat.* Conf. VOET. Comment. ad ff. Lib. VII. tit. 1. §. 28. ſqq.

(ll) FACHIN. Lib. 2. Contr. 97.

(mm) ROSENTH. l. c. n. 61. FLEISCH. I. I. F. c. 20. §. 29.

diales, ſiue pro re nata ipſum Vaſallum diuidendi, aut vero alteri eorum relinquendi, ſed iterum ex ratione perceptionis fructuum, pro quibus ab alio fructus ciuiles praeſtantur. Neque hic ullam differentiae fert rationem, ſiue dies ſolutionis venerit ſiue non venerit, cum cedere ſtatim & eousque intelligatur, quamprimum eos ſoluturus & quousque fruitus eſt. (*nn*) Nihil quidem hic difficultatis; lubet tamen in gratiam imperitiorum, rem Exemplis illuſtrare. Pone Mevium aedes in feodum accepiſſe, & eas alteri locaſſe, decedere deinde dimidia anni parte abſoluta, & dubium non erit, heredes ejus dimidiae partis anni locarium ferre, vtut forte dies ſolutionis, in fine demum anni veniat. Iterum finge, Sempronium in feudum dediſſe Theatrum, vbi hybernis temporibus comoediae celebrentur, ſed locarium in aeſtate demum debeatur. Cajum Vaſallum integra hyeme viguiſſe, deceſſiſſe autem media fere aeſtate, antequam dies locarii veniret: Et nemo dubitabit, locarium ſoluendum eſſe Vaſalli heredi, cum jam hyeme abſoluta, adeoque Theatri vſu pro eo anno finito, cedere ceperit. Vna ergo eademque deciſio, in fructibus naturalibus & ciuilibus rem conficiet. Vnde ergo, inquis, tanti fluctus, & tot opinionum diuortia? Inde profecto, quia nemo de genuina decidendi ratione ſolicitus fuit. In feudo etiam de Camera & cauena alia datur decidendi ratio, vbi annum ceptum, pro completo accipere volunt. (*nn* 2.) Quod ego in medium relinquo, ne haec opella turgidula nimis euadat.

§. VII.

Redeo potius in viam, vbi nunc diſſonas Doctorum mentes, ſiſtere dijudicareque iuuat, vt inde pateat, quam variis conceptibus fuerint hic delectati. I. Nonnulli hunc textum eo intelligere voluerunt, vt ſemper *praeferenda in dubio ſit poſterior opinio*, nimirum vt fructus pendentes cedant Domino, vtpote quam aequiorem arbitrantur, & vſu receptam aiunt. (*oo*) Et hi ſane priorem ac poſteriorem ſententiam reapſe differre cenſent, atque pro ſua addunt, binis differentibus effatis à quodam, praeprimis vero Compilatore feudali relatis, vltimum ſemper eſſe adprobatum, quibus tamen ſatisfacere nititur Rosenthalius. (*pp*) II. claſſis hoc modo calculum ſubducit, vt *Domino, ſi Vaſallus poſt Auguſtum usque ad Martium*

(*nn*) Per *L.* 26. *ff. de vſufr.* & arg. *L.* 58. *ff. eod.* Adde Cviac. Lib. 2. Obſ. cap. penult. & ad 2. F. 30. p. 207. ſeqq. Fachin. L. VII. Controv. c. 96. p. 135. Horn. Iurispr. Feud. c. 16. §. 29. Carpz. Part. III. Conſt. 32. defin. 19. Berlich. Part. I. Concl. 22. & 44. Strvv. Synt. Iur. Feud. c. 15. §. 16. n. 7. & Iurispr. Lib. II. tit. 8. §. 9. qui regulas effingit, huc facile reducendas.

(*nn* 2.) Ab Ardizone ſumma c. 25. & Doctores communiter.

(*oo*) Sande ad Conſuet. Feud. Gelr. Part. III. tit. 2. cap. 5. §. 1. cum cit. Feltm. de feud. p. 245. Pagenst. in Not. n. 325. ſq. Covarrvv. Var. Reſol. Lib. I. cap. 15. n. 14. cum cit.

(*pp*) De feud. Cap. 10. Concl. 42. §. 36. ſqq. & not.

tium decedat, fructus integri anni vindicet, contra ſi à Martio usque ad Kalendas Septembris, heredibus eius hos relinquat. (qq) Sed vti ipſi huius ſententiae ſtatores, cum aliis plurimis, eam ſanae rationi non ſatis conuenire arbitrantur, & inde haud dubie ſequeretur, vt v. g. Vaſalli ſtatim poſt Kal. Martias decedentis heredes, contra Juris rationem omnes totius anni fructus ferant, e conuerſo Vaſalli Menſe Decembri animam exhalantis heredes, omnes iamdiu perceptos, extantes aut plane conſumtos fructus reſtituere cogantur, quod ſiue vtile Vaſalli Dominium fingas, ſiue in Vſufructu ſubſiſtas, Juri omnino aduerſum eſt, & aliis feudorum Juris textibus (rr) repugnat; ita ipſis autoris noſtri verbis aduerſatur, qui Vaſalli usque ad finem Auguſti decedentis heredibus, *non niſi fructus interea perceptos*, minime autem ad finem usque anni percipiendos, addicit. Qui autem antea percepti iam ſunt, cum per iam prolata eius heredibus tribuerit, Vaſallo poſt Auguſtum ſpiritum reddente, Domino largiri profecto nequiuit. Vnde vbique aqua haeret. Et licet hiſce difficultatibus non attentis dicere velis, ideo textum eo modo capiendum, vt diſtributio fructuum inter Vaſalli heredes & Dominum, ad Exemplum aliorum qui nudi non ſint fructuarii, (ſſ) fieri debeat, quia Vaſallus haud ſecus ac illi onera tulerit, & ſeruitia praeſtiterit: tamen haec theſis eo caſu, vbi ſeruitia anno emortuali nondum praeſtita, vti id plerumque ante Martium haud accidit, minime valebit, deinde etiam ex hac ipſa ratione ſuppeditata maximae iniquitatis arguetur, quando Vaſallum usque ad v. g. Nouembrem ſeruitiis intentum fuiſſe, & tamen ſi menſe Decembri decedat, plane pro iis nihil concedi heredibus eius, ſupponere velis. Neque etiam prodeſt, ſi varias aequitatis rationes pro hac mente afferas, (tt) omnes enim erunt haud dubie ficulneae, cum iniquitas ſtatim in oculos incurrat, & textus plane aliud dicat. Adhaec non video, qui accidat, vt Doctores duo tantum tempora hic ſupponant, cum Legislator Longobardus diſerte de tribus loquatur. Scio, Doctoribus illa commode ad duo tempora reduci poſſe videri, quae caput noſtrum ediſſerit, (uu) ſed id per ſupra deducta minime integrum, cum ſatis demonſtrauerim, quid tres Epochas ſupponere, Longobardo ſuaſerit. Tandem praxi receptam hactenus examinatam opinationem, ſubiiciunt. (xx) Tyrannus

(qq) MAIER. Synt. Iur. Feud. cap. 32. §. 1. cum cit. SCHWEDER Diſſ. de fructibus feudi §. 25. ſq. RITTERSH. Partit. feud. p. 481. CONTIVS Method. feudor. p. 530. in Oper.

(rr) 2. *Feud.* 86. cit. inter quem textum & noſtrum tamdiu nulla pugna ſtatuenda, donec contrarium evidenter probetur.

(ſſ) Puta mariti defuncti, vbi diſtributio fructuum vltimi anni, inter heredes eius & vxorem obtinet. *L.* 7. §. 1. *L.* 11. *ff. ſol. matr.*

(tt) STRVV. Obſerv. feud. de feudo hered. 85. p. 40. THILEN de Iure ſemin. TEXTOR diſp. 21. de fructibus reſtit. th. 41. 42.

(uu) FERRAR. in vſus feud. Collect. Lib. 2. cap. 3. p. 46. 47.

(xx) Refert plures ſequiturve ROSENTHAL. cit. cap. 10. concl. 42. n. 35. lit. gg.

rannus eſt vſus, quem veneror. At num ex vero noſtri referant, videbimus. Primo varias ſpeciales locorum Conſuetudines, ab hac noſtro examini in praeſens ſubiecta mente recedentes afferunt, easque ante omnia ſequendas volunt, (yy) deinde praxin Cameralem, vnico Exemplo illuſtratam, adducunt. Haec autem nihil ad totam Germaniam, & pro ratione conſuetudinum, in iudicando receptarum, cottidie mutatur. Imo per infra dicenda ſatis conſtabit, maximam Germaniae partem, longe alias rationes, Longobardicis plane contrarias, ſequi. III. Magnus eorum qui reliquis ſapientiores videri volunt numerus, approbat quidem *vulgatam diſtinctionem, vi cuius Vaſallus poſt Auguſtum usque ad Kalendas Martias feudum vacuum relinquens, nihil ex fructibus capit aut transfert, contra ſi inter Martium & Septembrem vivendi finem faciat, omnes fructus ſibi aut heredibus ſuis vindicat; ſed ea quae de Domino dicuntur, ad fructus futuri anni refert, adeoque indiſtincte, fructus anni, quo obitus accidit, ad heredes Vaſalli, ſequentis vero demum ad Dominum ſpectare, ait.* (zz) At hoc non eſt textum explicare, ſed potius ei vim facere. Nulla quaeſtio in eo habetur de duobus annis, nimirum praeſente mortis & futuro, ſed potius de vno tantum. Profecto de anno emortualem ſequente, ideo nihil hic moneri aut tantum controverſia fieri potuit, quia nulla Juris, nulla aequitatis ratio excogitari quit, quae hosce fructus Vaſallo, qui nec poſſedit, nec ſervitia praeſtitit, nec agrum etiam coluit, addicere permittat. Valde ſimplices ſibi fingunt Longobardos, qui eis huiuſmodi dubium vel naſci potuiſſe, tuentur. Ne ergo plane explodenda videretur haec opinatio, excogitandum erat inauditum momentum, nimirum vt annus feudalis à Septembri initium caperet. Deus omneſque cœlites! Quis vnquam annum orſus à Septembri? In feudalibus profecto eum nemo inde capeſſere potuit, quia tum Vaſalli mediis in expeditionibus erant conſtituti, nec aut hyberna incipiebant, nec etiam belli tempora. Deinde ſi demus, anni primordia à Septembri deducenda, profecto vinum ad annum ſequentem referendum, ideoque Domino attribuendum eſſet, licet id elapſo anno, menſe Auguſto in Italia maturum, contemplatus eſſet Vaſallus. Nec de oliuis & ceteris fructibus, aliud tum ſtatuendum. Haec vero omnia, anno non attento, ob culturam & curam adhibitam, Vaſalli heredibus tribuunt. (*aaa*) Si ea decidendi ratio placet, & aliquid praeter textum aſſerere permittitur, cur non potius per omnia hanc rationem ſequuntur, fructus eſſe eius, qui culturam & curam adhibuerit? Imo ais, hoc pacto textui contradicemus? Sed vel ſic id accidit, dum aliquid adverſus eius generalitatem infertur. Quin ergo potius integrum hocce caput ſalvere iubes, & cum CVIACIO aliiſve, ex ingenio deciſum

(yy) SCHWEDER cit. Diſſ. de fructibus §. 14. & 24. ſq.

(zz) STRVV. d. Deciſ. feud 85. HORN. Iuriſpr. Feud. c. 16. § 29. FACHINAEVS Contr. L. VII. c. 95. ZASIVS de feudis Part. X. n. 109. ROSENTHAL cit. cap. 10. Concl. 42. n. 42. PISTORIS L. 1. qu. 24. n. 43. SCHILT. Inſt. Iur. Feud. cap. VIII. §. 13. SCHRADER Part. II. parte XI. Sect. 3. n. 73. 74. p. 455.

(aaa) PISTOR. libro I. qu. 24. n. 48. & 49. SCHRADER l. c. n. 74.

Digitized by Google

ſum formas! Eo magis vero miraculi inſtar habere exiſtimo hanc deciſionem, quo magis illi ipſi, qui eius paraſtatas ſe gerunt, rationem computationis anni à Septembri ſe ignorare fatentur, & ad notam L. *non omnium (bbb)* provocant. Italorum ſane, praeſertim Mediolanenſium anni longe diverſa erat ſubductio, cum illorum plurimi à Januario, hi autem à menſe Martio aut feſto Paſchatos, auſpicia petierint. *(ccc)* Alteruter horum computorum neceſſarius Longobardo Collectori, de rebus quippe regni Italici, Mediolanenſium praecipue hic diſſerenti, vnde ergo annus à Septembri deductus? Praeterea vero ſententiae huic omnia illa obſtabunt, quae contra praecedentem monui, vtpote iiſdem placitis vt plurimum defenſae.

§. VIII.

IV. Aliqui *plane a textu recedunt*, & eum iniquitatis arguunt, *fructus pro rata temporis, aequa lance, inter Dominum & Vaſalli heredes dividi debere*, opinati. *(ddd)* Nititur CVIACIVS hoc argumento, quod eodem modo de Jure diſtributio fructuum, inter Vſufructuarii heredes & Dominum, fundum ſibi finito Vſufructu vindicantem ineunda ſit, vnde hactenus mecum concors eſt, Vaſalli hic aliud Jus quam Vſufructuarii non cenſendum. Verum enim vero, cum olim *(eee)* aliis ſatis demonſtratum ſit, Jus Ciuile potius velle, vt Vſufructuario decedente Domini ſint omnes fructus pendentes, actum hic non agam, & facillime cum magnis illis manibus tranſegero. Aliud ratiocinium, ab exemplo heredum mariti quoad fundum dotalem petitum, adhibet à COSTA, quod Vaſallus haud ſecus ſit Vſufructuarius qualificatus ac maritus, vnde par obtinere debeat ratio. Sed fallitur acutiſſimus Juriſconſultus, dum à textu quodammodo aut recedit, aut eum peſſime explicat. Praeterea non plane Maritus & Vaſallus exaequantur. Poſſidente marito, idem eſt ac ſi ipſa vxor poſſideat, cum ei omne dominium, praeter naturale, medio tempore perierit, deinde onera matrimonii, ad quae pro ratione dotis ſuae vxor concurrit, ſingulos in dies ferenda ſint. Vaſallo autem fundo fruente, Dominus ſuam proprietatem non amittit, vnde ſoluto Vſufructu, non poteſt non omne Vaſalli & heredum Jus ſtatim extingui, nec vltra actio dari. Et licet Vaſallus forte iam ante quam fructus ceperit, illo anno ſervitia praeſtiterit, Vſufructu tamen loco ſtipendiorum, quae danda fuiſſent, aut pro aliis neceſſitatibus, aere parato à Domino ſublevandis, accepto, videtur quaſi in eventum, pro lege vſusfructus incertum tranſegiſſe, cum huius natura aliud fieri

(*bbb*) *L. 20. ff. de Legibus*, quae notum omnis apud nos ignorantiae aſylum.
(*ccc*) MABILLON de Re Diplom. Lib 2. cap. 23. §. 3.
(*ddd*) CVIAC. Feud. Lib. IV. tit. 30. p. 207. ſqq. à COSTA ad Inſtit. Lib. 2. tit. 1. §. 36. ALEXANDER in L. 7. §. Papinian. ff. ſoluto matr.
(*eee*) ROBERT. Lib. 2. Animaduerſ. & PISTORIS cit. P. I. qu. 24. n. 20.

fieri non admittat, quam vt in ambiguo ſit, quis vltimo anno lucretur. Forte enim ſi nulla ſeruitia praeſtita, aut Expeditio plane non indicta, lucrum ex parte Vaſalli decedentis ſtabit. Quidquid vero huius ſit, à textu deflectere religioni mihi duco, vnde vel ex hac ratione diverſum ſentirem. Per ſupra enim deducta, verba ſatis plana apparent. Fortaſſis V^ta^. eorum exiſtimari poſſet Concluſio, *qui omnia ad legem Vſusfructus hic exigenda*, *textu feudali non attento*, adeoque ex hocce capite fructus pendentes Domino, caeteros Vaſallo relinqui debere, contendunt. *(fff)* Sed cum haec iamiam quarto loco relatae quodammodo ſimilis exiſtimanda, neſcio an ſeparatim referri debeat. Veriſſimam habendam ſatis conſtat, non ideo vero, quia à textu feudali recedendum, ſed quia textus feudales, Juris Ciuilis de Vſufructu placita, ex aſſe probarunt, vt ex antecedentibus vberius patebit. Luſtratis ita & obelo notatis contrariis ſententiis, nil eſt quod nunc adiiciam, practer id, reliquas de fructibus ortas controverſias, facile ad eaſdem rationes componi poſſe, nec longo examine fore opus, quod tamen, qui voluerit, apud alios deprehendet. Num autem idem calculus eo caſu ineundus, quo Vaſallus feodo ob feloniam aut reſignationem deturbatur, ampla eſt quaeſtio. Peropus autem, vt in felonia prius expedias, an feodum ipſo Jure, an vero per ſententiam demum amittatur, & quid vtroque caſu de fructibus dicendum. Mihi Strvvii *(ggg)* placet autoritas, qui omni caſu ſtatim finiri Jus Vaſalli, Juri congruum dicit. Non quidem ex iis quas affert rationibus, ſed ideo, quia Domino non amplius ſervitia praeſtat, adeoque Vſusfructus, qui hoc nomine competiit, merito ceſſat. Quo dato, tempus reſignationis & feloniae commiſſae, ex iiſdem regulis iudicandum.

§. IX.

Abſoluta ergo Longobardici Iuris doctrina, nunc demum exponendum eſt, longe aliter ſe habere Iuris Germanici rationes. Germani Vſumfructum non ex perceptione, vt Romani, ſed potius ex cultura & cura aeſtimabant, & ideo ea omnia, quae quis ſeverat, & cultura excoluerat, ei Iure optimo maximo addicebant, licet alius a ſolo ſeparaſſet. Et hinc differentia Vſusfructus Romani ac Germanici. Quorum vltimus ideo etiam *Dominium vtile* Doctoribus dicitur, *(hhh)* licet mihi *Vſusfructus beneficiarii* vox ſufficere videatur, & Dominium vtile vel in ipſa Germania ignorem. Imo non ignota fuit, me quidem iudice, Germanis altera quoque Vſusfructus ſpecies, quam ego *ſimplicem* dicere amo, & illic Iura, Romanis paria. Neque aliud quoad fructus à maioribus, ex Analogia Iuris noſtri fieri poterat, cum enim omnes pendentes ad res mobiles referrent, minime eos alteri, quam ei

(fff) Alberic. *ad L. defuncta ff. de Vſufructu.*
(ggg) Synt. Iur. Feud. cap. 15. §. 11. n. 4.
(hhh) Beyer. Spec. Iur. Germ. Lib. II. cap. 10. Schilter Exerc. XVI. §. 19, 20. Illuſtr. Heinec. Elem. Iur. Germ. L. II. tit. 2. §. 33. Ill. de Lvdewig de tutela fruct. Opuſc. Tom. II. p. 1250. lit. qq.

ei qui culturam & curam adhibuerat, permittere integrum erat *(iii)*. Hinc vero Germanici Iuris effatum: *Was die Egde beſtricben, vnd die Hacke bedecket*, *das folget dem Erbe*, *(kkk)* in feudalibus & alodialibus iuxta locum ſibi vindicans. Germanici ergo Vaſalli heredes, omnes anni fructus percipiunt, quos ille coluit curauitque. Si dicendum quod res eſt, longe certe aequius exiſtimo Ius Germanicum quam Longobardicum, nec dubitandum, quin id, non tantum ex generalibus de Receptione Iuris Longobardici non niſi in ſubſidium regulis, ſed etiam ob ſpecialem vbilibet ferme obtinentem praxin, in patria noſtra, Longobardicis Deciſionibus ſit praeferendum. Et haec quidem erant, quae occaſione textus vexatiſſimi ediſſerere placuit, vnde doctrinarum noſtrarum, de Vaſalli Iure non alio quam Vſufructuario vſus, ſatis patebit. Si tamen id ageremus, liceret adhuc plura commoda, per omnia Iuris feudalis capita ſe diffundentia, commonſtrare. Et cum (vti ſupra quadantenus explicui,) nemo facile capiat, cur feudum ab initio non niſi in filios tranſierit, cur Vaſallus a Domino inveſtituram recipere cogatur, cur feodum ſine Domini conſenſu alienare nequeat, cur Domino Relevium praeſtare debuerit, & plura alia, cuncta plana eſſe deprehendes, ſi doctrinas de Vſufructu Vaſalli ſupponas. Id quod olim plenius illuſtrabimus.

§. X.

Nunc vero conuertimur ad id, quod praecipue in praeſens dicendum, quosdam Praeſtantiſſimos, Generoſiſſimos, Nobiliſſimosue Dominos Commilitones, Diſputationes feudales, me conflictus moderatore, ſingulis hebdomadis, ſtatim poſt Circumciſionem CHRISTI, in Auditorio meo inſtituturos eſſe, quorum nomina, ſerie alphabetica, hic recenſere placuit.

DN. *Joh. Frid.* DE BAVMANN, Eques Sueco-Pomer.
DN. *Juſtus Eberhard* BERGHOFF, Osnabrugenſis.
DN. *Joh. Chriſtian* CLAPROTH, Oſterod.
DN. *Henrich Friedrich* DENICKE, Hanoveranus.
DN. *Hadrianus Aug.* MERCKER, Quedlinburg.
DN. *Joh. Bernhard* MVLLER, Francofurtenſis.
DN. *Joach. Dietricus* DE PREEN, Eques Megapolitanus.
DN. *Johannes Eraſmus* SENCKENBERG, Francofurtenſis.

Re-

(iii) HERT. Opuſc. Tom. I. Part. III. p. 542. ſq. Paroem: *Wer da ſäet der mäet.* & CARPZ. P. I. Conſt. 28. Def. 124. Part. III. Conſt. 13. Def. 10. n. 5. ſq. Communiter quidem Doctores fructus mox ſeparandos ad res mobiles referri admittunt, qua de re conf. VOETIVS de Reb. mobil. & immobil. cap. 24. §. 5. p. 263. cum cit. Sed in Germania ne quidem huc reſpicitur.

(kkk) *Sächſ. Landr.* Lib. II. art. 58. HORN. Jurispr. feud. cap. 16. §. 29. cum cit. Dn. STRVV. Jurispr. feud. cap. 20. §. 23. Dn. FLEISCHER Inſt. Jur. feud. c. 20. §. 28.

Recenſeo autem haec memoria digna nomina eo lubentius, quo magis certum eſt, me ſpe non vana foveri, fore, vt haud ita longo interiecto ſpatio, quam in praeſens diſcendo praeſtant adſiduitatem, dexteritatem, in rebus agendis haud ſecus exhibeant. Ad ipſam Diſputationum rationem quod attinet, inter nos hanc conventionem inivimus, vt ſingulis Saturni diebus, ab hora ante meridiem VIII. vſque ad IX. negotium hocce peragamus, oppoſituris ex eorum, qui Collegio meo Iuris feudalis interſunt, ordine lectis, noſtri copiam facturi, exteros etiam, ſi qui forte intereſſe voluerint, tum admiſſuri. Cynoſura Diſputationum harum erunt *Capita mei Juris feudalis Compendii*, ſingulis vicibus indicanda. Id quod eos, quorum intereſt, ignorare noluimus. Dab. e Muſaeo Kal. Ianuar. cIↄ Iↄ ccxxxvii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google